

usufructu exceptio doli mali obstat. *l. 26. l. 76. §. 2. ff. d. leg. 2.* rationem Jctus Papinianus ponit in præsumpta testatoris voluntate, quod scilicet legans intelligatur non modo nudum jus proprietatis, sed etiam heredis in usufructu consistens, adeoque fundum plenum cum suo emolumento legare, cum usufructus portionis instar obtineat. *d. §. 2. in fin. l. 4. ff. d. usufr. l. 58. ff. d. verb. oblig. cum & alias si testator rem, in qua nudam habet proprietatem, usufructu non penes heredem, sed penes tertium existente, legaverit, heres obligatus sit ad redimendum usufructum. l. 66. §. 6. ff. d. leg. 2.* quo etiam facit, quod si testator alii fundum simpliciter, alii vero usufructum ejusdem fundi legaverit, priori usufructus cum proprietate, adeoque plenum dominium legatum sit, & posterior tanquam conjunctus in concursu ipsius usufructus cum priori partem in usufructu faciat. *l. 19. ff. d. Vsufr. legat. l. 6. d. Vsufr. ear. rer. quæ usu consum. l. 1. §. 17. ff. ut legat. serv. caus. cav.* adeo, ut errore labi dicatur testator, qui, cum vellet alicui nudam proprietatem deducto usufructu legare, si simpliciter fundum legaverit. *d. l. 19. d. Vsufr. leg.* secus est in cæteris servitutibus, quæ non continent plenum rei emolumentum. *d. l. 76. §. 2. ff. d. leg. 2.* neque etiam prædio serviente legato heres ad prædium liberum præstandum est devinctus. *d. l. 66. §. 6. d. leg. 2. Zæf. d. t. d. Her. vend. n. 11.*

XXIII.

Pariter restauratur semel confusa servitus vel obligatio, si hereditas per inofficiosi querelam est evicta, tum enim omnia perinde observantur, ac si hereditas nunquam adita fuisset, adeoque heredi victo omnia sua pristina jura salva manent. *l. 21. §. f. ff. l. 22. C. d. inoff. testam.* neque enim ipsum sibi solvisse pecuniam credendum est, a quo hereditas evincitur. *l. 95. §. 8. ff. de solut. Vult. d. c. 57. Brisson. d. tit. de confusione.* Simili modo restitutio in integrum adversus aditionem damnosæ hereditatis legitime impetrata confusas actiones restituit. *l. 87. §. 1. ff. d. Acquir. Her. Briss. d. l. cum per restitutionem in integrum omnia in pristinum reponantur statum. tt. tt. ff. & C. de restit. in integr.* Quodsi autem alicui ut indigno hereditas auferatur, confusæ actiones ipsi non restituantur.